



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Obligationibus Specialibus Certorum Statuum, De
Sacramentis In Genere, Et In Specie, Et De Censuris Et Irregularitatibus

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, MDXXXIV.

VD18 90392167

Q. 2. An essentielles sunt Unctiones quinque sensuum?

urn:nbn:de:hbz:466:1-41032

Q. I. *Quenam est materia & forma hujus Sacramenti?*

Resp. I. Materia remota est oleum olivarum ab Episcopo benedictum. Trident. sess. 14. c. 1. Renovari debet singulis annis, veteri exusto. Quod si periculum sit ne intra annum deficiat, neque possit haberi aliud benedictum, benedicto admisceatur non benedictum in minori quantitate. Ita *Rituale Roman.* Materia verò proxima est Unctio. Hæc ex usu Ecclesiæ & præcepto Ritualium, debet fieri in forma Crucis: quod tamen non est essenziale, sicut neque ut fiat immediatè pollice Sacerdotis; nam pestis tempore Unctio fieri potest bacillo.

Resp. II. Forma est hæc deprecativa: *Per istam Sanctam Unctionem, & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid per visum deliquisti. Amen.* Et sic de aliis sensibus. ex Florent. & Trid. & Rit. Rom. Sunt qui putant hæc sola verba, *per istam Unctionem indulgeat tibi Deus*, esse essentialia; eò quòd effectum Sacramenti sufficienter exprimant, quamvis cætera ex præcepto sint addenda.

Q. 2. *An essentielles sunt Unctiones quinque sensuum?*

Resp. I. Multi cum S. Thoma affirmant, & in Ecclesia Latina servantur: ac proinde in praxi adhiberi debent, quantum fieri potest; præsertim cum constet, eas requiri ex præcepto. Non pauci tamen contendunt ad valorem

rem Sacramenti sufficere unicam in quacumque corporis parte; & Rituale Mechliniense à Facultate Lovaniensi approbatum præscribit: *In morbis contagiosis, & peste grassante, ut periculum vitetur, sufficere inungi sensûs organum magis ad Unctionem expositum, aut detectum, dicendo: Per istam Sanctam Unctionem, & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti per visum, auditum, odoratum, gustum, tactum & gressum. Sed ut ut sit, certum est id non licere extra necessitatem.*

Porro non est absolutè necessarium, ut utrumque organum ejusdem sensûs specificè sumpti, v. g. uterque oculus ungetur (quamvis ob receptam consuetudinem id fieri debeat;) quia Unctio dicitur applicata alicui sensui putà visui, cum facta fuerit in parte corporis, in qua is residet.

Pro praxi observa 1. ex præcepto saltem quinque corporis partes inungi debent, quæ sunt sensuum organa, nempe oculi, aures, nares, os, & manus; quibus secundùm usum communem & Rituale Roman. adduntur pedes; licet pedum unctio non sit essentialis, unde in quibusdam locis omittitur. *Renum verò unctio in mulieribus, honestatis gratiâ semper omittitur, atque etiam in viris, quando infirmus commode moveri non potest, Ritual. Rom.*

2. Si quis careat aliquâ parte corporis ex iis, quæ inungi debent, *pars loco illi proxima inungatur eâdem verborum formâ, Ritual. Rom. Ut si manibus careret, ungenta esset pars brachii*

proxima. Quòd si omninò careret sensuali-
quo, putà visu, debet tamen inungi secundum
sensum illum cum forma ei respondente; quia
potuit appetere actus malos, qui per sensum
illum perficiuntur.

3. Dum oculos, aures, & alia corporis mem-
bra, quæ paria sunt, Sacerdos ungit; caveat ne
altero ipsorum inungendo, Sacramenti formam
priùs absolvat, quam ambo hujusmodi paria mem-
bra perunxerit. Rit. Rom.

4. Si dum inungitur infirmus decedat, Presby-
ter ultra non procedat. Quòd si dubitet an vivat
adhuc, unctionem prosequatur sub conditione pro-
nuntiando formam dicens; si vivis, per istam un-
ctionem, &c. Rit. Rom.

5. In pestiferis uti licebit virga oblonga, oleo
tincta, quæ deinde comburatur, aut servanda pur-
getur, ait Manuale Cameracense.

Q. 3. Quis potest & debet ministrare hoc
Sacramentum?

Resp. I. Fide constat solum Sacerdotem esse
illius Ministrum, ex Trid. sess. 14. can. 4. Va-
lidè autem conferri potest à quolibet Sacerdo-
te: quia in tali ministerio jurisdictio non est
essentialis Sacramento, nec illius principium;
sed est solùm conditio necessaria ut licitè fiat.
At licitè ministratur à solo Pastore proprio,
vel alio de ejus licentia: nam administratio
Sacramenti est officium Pastoris, quod usur-
pare propriâ auctoritate in materia gravi gra-
vis culpa est; cum id ei injuriosum sit, & re-
pugnet